

DE
ISOCRATIS VITA ET SCRIPTIS
EXPOSUIT QUAEDAM
JOAN. GODOFR. PFUND.

30

ETTENDI TE ATTY BITANDOI
KOMA TAKI
KOMA KOMA

Oratores Graecos e scholis litterariis non prorsus exterminandos esse omnes ii, puto, mecum sentient, qui universam rei scholasticae rationem et naturam diligentius perpendent. Nam ubi tirones grammaticis legibus paeceptisque eruditii et copia vocabulorum instructi in legendis optimis Graeciae historicis, Xenophonte, Herodoto, Thucydide, satis exercitati et versati fuerint, quid omnino restat ad communem antiquitatis cognitionem alendam, qualem in scholis, ut suum locum recte tueantur, assequi par est, quam ut iidem, (sicut fieri solet in Latinis) ad oratores, tamquam ad vivam illius aetatis vocem proprius accedant, quo historiae quasi ossibus carnes induantur, iisque succus et sanguis infundatur. Quare velim eas orationes eligi, quae plano historiae fundamento nituntur, et faciliorem idcirco intellectum habent, magisque animum alliciunt. Etenim Demosthenis Midiana et Leptinea, propter editionum praestantiam interdum in scholis lectae, in causis versantur intricioribus, quam ut universo discipulorum coetui sine impedimentis uberiorum explicationum in clara luce collocari possint. Quibus argumentis ductus, ne Demosthenes, quem non solum Cicero sumnum sibi exemplum proposuit, sed etiam omnium temporum laudes nobilitarunt, diutius scholis abesset, facile persuasi Bekkero nostro, ut octo Philippicas orationes huic usui aptissimas sua cura descriptas seorsum edevet. Atque eodem consilio selectas mihi aliquot Lysianas et Isocrateas (Plataicam, Archidamum, Symmachicam, Areopagiticam) edendas et brevi annotatione instruendas designaram, quippe judicans, Isocratem, scriptorem utilissimis vitae et civilis

prudentiae praecettis abundantem, et vero amabilem oratoriae artis magistrum, a Cicerone tot laudibus exornatum, quemque Graecorum Ciceronem multas ob causas non imerito appellaveris, legendi studio in primis dignum esse, ex quo Graece scribendi usus in scholis per secula intermissus, non sine fausto Graeciae sensim renascenti omne, nostris temporibus tandem revixit. Quamquam vero non sum nescius, sententiam apud Isocratem interdum famulari verbis, non, quemadmodum deceat, verba sententiis, verumque esse, quod Cleochares Smyrleanus (Photii Biblioth. T. I. p. 121. b. ed. Bekk.) de Isocraticis fertur commode dixisse: Τοὺς μὲν Δημοσθενικοὺς λόγους τοῖς τῶν Ἑρατιωτῶν ἐπικέντρῳ μάλιστα σώμαστι, τοὺς δὲ Ἰσοκρητικοὺς τοῖς τῶν ἀδηλητῶν, *) tamen neminem, qui familiaritatem quandam cum illo contraxerit, fugere censeo, eundem haud raro insurgere locisque permultis tam sensorum magnitudine, quam verborum pondere lectoris animum movere, et virtutis amore inflammare posse plurimum. Diutius etiam haesi in Isocrate perlegendendo, ex quo egregiis Bekkeri opibus auctus et fere nova veste induitus prodierat. Sed quum per muneric scholastici saepe multiplicem diversamque rationem et vitae incommoda mihi non contigisset, ut Isocrati perpetuam operam impenderem, morbis denique gravissimis afflictus consilium abjeci, aliisque me expeditioribus et magis idoneis remisi. Interea hac mihi scribendi tandem necessitate injuncta, aequis lectoribus ea, quae per studiorum cursum oblata de scriptoris vita et scriptis etc. notaveram, apponere constitui.

Quod in aliorum scriptorum vita enarranda saepe magna difficultate premitur, quo anno vel nati vel mortui sint, id de Isocrate planum est et apertum. Nam Dionysius Halic. (Vol. V. ed. Reisk. p. 534 et 537. coll. Plutarch. in vit. X. orat. Ισοζ. p. 139. Diog. Laërt. III, 2. Phot. Bibl. Cod. 260 P. II. p. 486) Athenis Archonte Lysimachus (Ol. 86, 1. a. Chr. 436) natum et paucis diebus post Chaeronensem calamitatem Chaeronda Archonte (Ol. 110, 3 a. Chr. 338) diem supremum obiisse diserte tradit. Sive ille ex Hermippo Smyrnaeo, quem de Isocrate librum singularem composuisse ex Athenaeo (L. XIII p. 592. d) discimus, quum ejusdem liber de Isocratis discipulis eum (in Isaeo p. 588) non latuerit, hoc sum sit, sive alio modo ex computatione instituta confecit, certe huic temporum notationi tum quae ab aliis, tum quae ab ipso Isocrate

*) Simile est Philippi, regis Macedoniae dictum (Plutarch. X. orat. vit. in Demosth. T. V. ed. Taucha. p. 159 et Phot. T. II. p. 493), quod iste in suum usum fortasse convertit.

passim commemorantur, optime fere consentiunt. (cf. Clinton Fast. Hellen. convers. Krüg. ad annum 338.)

Pagi nomine fuisse Erchiensem (*Ἐρχεία ab Ἐρχειν ν. Ἐρχεία, τῆς Αἰγαίου φυλῆς cf. Ἐρχείας ap. Harpocrat.*) Plutarchus cum Photio refert; quam vere, cum aliunde non constet, dubitare possumus, nisi Plutarchi libro majorem tribueris fidem. Nam quae ibi multa sunt temere quidem congesta, pleraque tamen suo loco adhibita haud exiguum veri speciem prae se ferunt. Quodsi Plutarchi sunt illa notata, ut cum Hieronymo Wolfio Beckerus Quedlinb. (in *Andocides etc.* p. 129) efficere studet, fieri potuit, ut idem ex Hermippo, (quem laudat in *Solone c. 2.*), ea in suum usum excerpteret. Itaque Xenophontis, tribulis (*Diogen. Laert. II, 6, 1*) exemplo et amicitia motum Isocratem, aetate illi supparem, ex mediocri civium numero ad Socratis familiaritatem se adjunxit non absurdum fuerit conjectare, quum patres ejusmodi conditionis alterum alterius exemplo et hortatu filios in Socratis disciplinam tradere solitos esse ex Platone intelligamus. Divitum vero et nobilium filii quo consilio Socratem sectati sint, Xenophon (*Memor. Socr. I, 2. §. 25 coll. 15 et 16*) docet. Theodorus igitur, Isocratis pater, qui servos tibiarum fabros alebat, vir fuerit instar Critonis, et simili suo studio filium ut ad virtutem et sapientiam institueretur Socrati adduxerit. Neque adeo tam inepta eorum opinio est, qui oratoris nostri nomen ad Socratis similitudinem a patre inditum putant. Grammaticam quidem rationem aliquantum adversari non diffiteor; sed in nominibus finendis, ut in omni vocabulorum originatione ista aetas sensum quandam obscurum callebat tantum sequi. Mirum certe videri potest, cur nomen illud alivi, quod sciām, non occurrat. Nam ipse Isocrates Apolloniates, illius discipulus et successor, nomen sibi, ut opinor, a praceptorē imposuerit. Interim haec ut levicula videlicet dubiaeque indaginis in medio relinquam.

Patris igitur Theodori laudes bene de se educando meriti Isocrates ipse (*Orat. οὐτοῦ. §. 161*) praedicat: ἄμας (fratres Telesippum, Diomnestum filiolamque Plutarch. init. commemorat; Suidas patris cognominem addit.) οὐτως ἐπιμελῶς ἐπαίδευσεν, οὐδὲ ἐπιφαίστερον εἶναι με τότε καὶ γνωριμώτερον ἐν τοῖς ἀληταῖς καὶ συμπαιδευομένοις, η̄ τοῦτο ἐν τοῖς συμπαιδευομένοις, neque bonis eum caruisse verbis ibidem proxime praecedentibus (*ἀποκειμένων τῶν ὑπαρχοντων, ἀφ' ᾧ ὁ πατὴρ τῇ πολεοχρηστιμον αὐτὸν παρεῖχεν*) testificatur.

At vero Socratis studiosissimum fuisse Isocratem, insignis locus in fine Phaedri Platonici docet, cuius dialogi tempus cum Schleiermacher (*Platon. convers. German.*

Vol. I. P. I. p. 70 seqq.) ad Olymp. 93, 3 vel paullo post refero, ubi Isocrates trigesimum jam annum agebat. Ibi autem Socratis de Isocrate augurium, a Platone tunc temporis profecto comprobatum sole clarus ostendit, majorem quandam et sancte colendam inter utrumque necessitudinem intercessisse. Majore mihi, inquit, (Cicerone inteprete Orat. c. 13) ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur. Praeterea ad virtutem major indeoles, ut minime mirum futurum sit, si quum aetate processerit aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui unquam orationes attigerunt: aut si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiscat. Inest enim natura philosophia in hujus viri mente quaedam. Haec Socrates ille in Phaedro Platonis. Atque hoc praeconium Isocrati in ejus dialogi fine tributum est, in quo Plato verae eloquentiae fundamenta primus jecit, eique adjumenta prima e philosophia, id quod Aristoteles postea persecutus est, repetenda demonstravit.

Majus ergo pondus illi Platonis fere acqualis testimonio accedat, si de seniore ipse senior scripserit. Platonis vero Isocratem fuisse amicum item commemorat Diog. Laert. III. 9. Nam Praxiphanes, (quem Epicurus, Apollodoro in Chronicis tradente, audiisse fertur id. X. 7. *) quandam conscripsit inter eos habitam de poëtis disputationem, quum ruri Platonis hospitio frueretur Isocrates. Quas autem postero tempore inter utrumque fingunt similitates intercessisse, qui in Euthydemus Platonis (p. 305 ibi Heind. et Schleierm. Convers. Plat. Germ. P. II. Vol. I. p. 408) Isocratem tangi, eumque hos ictus in Philippo suo (§. 12) Platon regessisse autumant, ii vereor ne acutius quam verius hoc posuisse videantur. Eodem jure et majori fortasse Lysiam ibi vel alium quemcunque λογοτυπόν vellicatum putem. At quot rhetores fuisse Athenis censendi sunt, qui sophistarum discipuli civibus orationes in judiciis habendas scripserint ipsi in umbra latentes. (Isocr. οὐδὲ μὴν κάκειον καὶ τὸ φανερόν ἐστιν, οὐ κακάν-

*) Idem videtur esse, qui primus (Clemens Alexandr. Stromm. I. p. 309 ed. Heins.) quo sensu hodie dicunt, Grammaticus appellabatur. Theophrasti discipulum fuisse Procli prolegg. ad Hesiod. Opp. p. 4. ed. Gaisf. Lips. docent. Debeo illos locos libello de Grammaticae Graecae Primordiis, Classen p. 8 et 9, ubi Praxiphonis saepius mentionem factam ejusque nomen in scholiis ad Dionys. gramm. p. 729 ed. Bekk. restitutum invenies. Proxime Isocratis tempora Praxiphanes attigerit necesse est.

Σεῖς εἰσὶν οἱ καρασκευάζοντες τοὺς λόγους τοῖς ἐν τοῖς δικαιορρηγίοις ἀγωνιζομένοις. τούτων μὲν τοῖνυν τοσούτων ὄπτων κ. τ. λ. cf. Attisch. Proz. Meier et Schoem. p. 707.)

Verum enimvero qui Phaedrum seriore tempore adeoque post Euthydemum putant scriptum (ut Stallbaum. post Olymp. 98 init.), si Platonem adversa fronte pugnativa loquentem facerent, si Isocratem in illo Euthydemis loco significari contenderent. Quomodo enim istum eodem traxerint, nisi forte Platoni foediorem quam Isocrati notam inurere maluissent, equidem non video. Immo vero iniquius cum Isocrate ageretur, quem illas injurias Platone jam mortuo (Ol. 108, 2), uno et altero anno post, quo tempore Philippus scriptus est, ultum esse censerent. Tantaene animis senilibus irae? Sed minime hoc Isocrati affingendum, qui Lysimachi accusatoris probra in Timotheum, meritisimum de patria imperatorem, mortuum conjecta tanta cum indignatione improbabat (*περὶ ἀντιδ.* §. 101). Denique Speusippi epistolam, ad Philippum scriptam (No. 30 Socr. et Socratice. epp. ed. Orell.) etsi Valckenaer, vir magnus, in Isocratis hunc ipsum Philippi locum (§. 12) directam censuit (in *Orat. de Phil. Maced.* indole p. 262. not. 52), tamen ut dubiae fidei, vel si genuina sit*), ex mutua oratores inter et philosophos offensa aut ex partium studio profectam in partes huc non vocaverim. At vero iterum licet exclamare rogitanti, quot sophistae et sophistarum discipuli hoc tempore tales politias et leges, nobis non asservatas, jam scripserint, quas Isocrates plurali numero usus respicere potuit. Isocratem contra ex Platone quaedam quamquam suo more adhibita deprompsisse, certis vestigiis reprehendi judicavit Orellius (Edit. *περὶ ἀντιδ.* p. 265 et *Excurs.* p. 306 seqq.). Societatis quoque inter Xenophontem et Isocratem permanentis indicium qualemque appareat, si Diogeni Laert. (L. II. 6, 10) ex Hermippi libro (de vita Theophrasti) credimus enarranti, Isocratem (ita scribend. apud Diog. pro Socrate Fabric. Bibl. Graec. ed. Harl. P. II. p. 790 censei) Grylli, Xenophontis filii laudes, in pugna ad Mantineam (Ol. 104, 3) occisi conscripsisse. Quibus igitur utcunque positis, jam veri quandam speciem induere videatur, quod a Photio Xenophon in Isocratis auditoribus recensetur. Fieri enim potuisse, ut is ex Asia redux et exsilio affectus, quum

*⁴) h. e. illo tempore Athenis scripta, quod cum Orell. I. I. praef. VI. et VII nullus dubito. Spensippi esse, Leo Allatius probabili conjectura posuit, ibid. p. 262. Nec quae Orell. in annotationis fine contra moveat, adversantur quidquam. Nam potuit scriptor, Aegypto ab Artexerxe Ocho expugnata, item Athenis, commerciis prohibitis, de libri papyri penuria conqueri.

Scilicet in otio animum ad scribendum appulisset, Isocratis amici scripta tereret. Ni-
mirum in Agesilao, cuius encomium senex post mortem regis (Ol. 105, 1.) composuit,
Isocratis scribendi genus videtur aemulatus esse.

Sed tamen Isocratem Socraticae domus consortem fuisse, abunde ipsa loquun-
tur scripta, quae virtutis praeceptis, et egregiis cum vi quadam prolati sententiis (Graeci
ενδυμήματα vocant) tam referuntur sunt, ut propter hoc ipsum a nonnullis acerius reprehendantur. Virtutis partes iisdem nominibus numerat, quibus Socratici, et philosophia, quam
toties jactat, quamquam alio sensu quam vulgo putant, non ut philosophus sed ut ora-
tor utitur. Huc accedit, quod Socratici discipuli imaginem, quam *καλοράγασις* forma
exhibit, imitando videtur expressisse. Immo vero ut Socratis exspectationi de se con-
ceptae pro virili satisfaceret, eo potissimum hoc persequutus est, quod eloquentiae scho-
lam vere Atticam condidit, unde tamquam ex equo Trojano, ut Ciceronis verbis utar,
meri principes exierunt. In quo quidem negotio se quodammodo seculi genio cedens
ad sophisticas formas accommodavit; sed tamen suum cursum ita tenuit, ut pulchri ho-
nestique studio nihil unquam derogaret.

In rhetorica arte primum videtur Theramenis, a Socrate non alieni (Diod. Sic.
L. XIV. 5) disciplina usus esse, quem Gorgiae discipulum perhident. (Dionys. Halic. et
Plutarch. l. l. Suidas in v. v. Ισοχεὶς, et Ἀρχίσοντος νίος, — Isocrat. edit. Dindorf. p. VIII. (Bios
Ισοχεὶς ex codd. Laurentii.) Et narrant (cum Plutarcho Schol. ad Aristoph. Ran. v. 540.
Diod. l. l. Σωκράτης δὲ ὁ φιλόσοφος καιδύλλος τῶν δικαιώματων καὶ τοῖς
ώσεται πλέον ἐπι τιμῆς ἐνδικτύματος τῶν διδασκαλίαν.) Isocratem, Therameni
ad necem deducendo applicatum cum illo emori voluisse, illum autem impediisse, quo-
minus hoc fecerit. (Bios. l. l. p. IX. "Ἐφησε τῷας συναπόλληται σοι και η ἐμη διδασκαλία,
ώσεται πλέον ἐπι τιμῆς ἐνδικτύματος τῶν διδασκαλίαν.) Quibus verbis Isocrati persuasum
esse, ut superstes factus artem docturus abierit. Praeterea alias multos, Protagoram,
Prodicum, Gorgiam, Tisiam, Archinum*) in Isocratis praeceptorum numero commemo-
rant. Sed in talibus seriores vitatum enarratores saepe temere ac pro lubitu agere, ita
ut viro cuique excellenti praeceptores auctoritate maxime conspicuos adjunxerint, in com-
perto est. Verum tamen haec in hac tanta Athenarum celebritate et publice vivendi
frequentia tam artis finibus circumscribi nequeunt. Aliud erat sane *ἀργύριον διδόναι*,

*) Nam quem nunc etiam circumferunt *Ἐργάτης* e Suida, eum Ruhnken, in histor. crit. p.
42. Archinum. (Demosth. c. Timocrat. p. 742, 25 Reisk.) esse pronuntiavit.

aliud per sermonem in circulis, disputationibus, congressionibus alicujus doctrinam vel per familiares traditam accepisse. Crebro autem circa eadem tempora, quibus Isocratis *juventus* florebat, Gorgiae Leontini exemplo et plausu (inde ab Ol. 88, 2) fortasse excitati, quos e Platone sophistas et artis rhetoricae magistros novimus, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus, Thrasymachus Chalcedonius, (Plat. Phaedr. Vol. I. ed. Heind. p. 343) Theodorus Byzantius, Euenus Parius (ibid. p. 339), rhapsorum, Lyricorum, Herodoti aliorumque more, ut ingenio ostentando nummatos adolescentes ad se invitarent atque pellicerent, Graeciae urbes peragrarunt saepiusque Athenis commorati sunt. Illum ibi a Prolico, quem Socrates plurimi faciebat, non alienum fuisse, exemplis quibusdam probari potest (Spengel *τυναγμή τεχνῶν* p. 54 coll. praeff. XXIII). Quidni Protagoricae quoque sapientiae eum aliquid degustasse censeamus Athenis, ubi Protagoras haud raro versatus est et adolescentium studia tantopere incedit? Neque adeo Hippiae ignarum fuisse vel ex eo verisimile est, quod ejus mortui uxorem Plathanen in matrimonium duxit, ejusque filium Aphareum adoptavit. Nam sophistas, acerbius illos quidem a Platone exagitatos et in summam invidiam adductos, multa tamen non contempnenda protulisse consentiens nunc eruditorum vox est, eorumque merita de prosae orationis conformatione haud exigua finisse judicant (Bernhardy Wissenschaftl. Syntax p. 171 et 452). Ita, quae illi probabilia docuerant, Isocrates adolescens arti oratoriae operam ipse daturus suo sibi judicio adsciscere et in suum usum eonvertere potuit. Ab his igitur, plurimumque a Gorgia, ut infra docebimus, peperdisse Isocratem in arte rhetorica addiscenda, seriores vitarum scriptores in universum recte tradiderunt, quorum unum instar omnium laudo Dionysium Halic. p. 536 in judic. de Isocr. *περιφυλέντην δὲ καρδαβάνην* οὐκτοσιν ὑπὸ τῶν περὶ Τοργύιαν καὶ Περιταγόραν σοφιστῶν ο. τ. λ.

Interēa Isocrates bonis per funestam belli Peloponnesiaci vicissitudinem amissis (κεφὶ ἀντιδ. §. 161. ἀκολομένων ἐν τῷ πολέμῳ τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους ἀπάντων τῶν ὑπαρχόντων ἡμῖν —) rei publicae capessendae quamvis cupidissimus (Dionys. Halic. p. 535) quum ad dicendum pro concione naturam non nactus esset fautricēm (ἐγὼ γὰρ πρός μὲν τὸ πολεύεσθαι πάντων ἀφυέστατος ἐγενόμην τῶν πολεμῶν οὔτε γὰρ φωνὴν ἔσχον ἴκανήν, οὔτε τόλμαν δυναμένην ὥχλῳ χρῆσθαι ο. τ. λ. Phil. §. 81. cf. Panath. §. 10) *) ut vitam sustentaret

*) Unde Dionys. Plutarch. Phot. eadem decantant.

reique familiari reparandae prospiceret, Lysiae aliorumque rhetorum exempla secutus aliis accusatis orationes scripsit et subinde ad artes tradendas se contulit (Cic. Brut. c. 12 sic.). Illud enim illa aetate eum exercuisse vel ex ipsis forensium ejus orationum argumentis ad tempora post Archont. Euclid. usque ad Ol. 97 referendis patet; sed utrumque item Cicero ex Aristotelis libro nobis deperdito (*τεχνῶν συναγωγὴ* Intpp. de Orat. II, 38, 160) ibidem tradit. Aristoteles igitur ait, Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in judiciis uterentur: sed cum ex eo (quia quasi committeret contra legem) quo quis judicio circumveniretur saepe ipse in judicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere, totumque se ad artes componendas transtulisse. Quo locupletissimi auctoris testimonio edocemur, quae ad universam Isocratis vitae rationem recte intelligendam magni sunt momenti, eum simul necessitate quadam ad illud delatum videmus, quo apud posteros gloriam sibi peperit. Angustissimum autem Isocratis tempus, quo civilibus etiam undis jactabatur, fractis Atheniensium ad Aegospotam rebus videtur incidisse. Narrat enim Plutarehus (cum Photio), eum in Chio insula, pecunia accepta docere coactum (Socratis sui memorem Xenoph. Memor. I, 2, 6 et 60) fudisse lacrimas. Illuc rhetorem Athenis relictis sub triginta virorum potestate cum aliis permultis (Diod. Sic. XIV, 5. ἵκι τοσοῦτο κατέφθισαν τὴν πόλιν, ὡς φυγέντα Αθηναίους κλείους τὸν ἱμίστων) fortasse post Theramenis necem fuisse verisimillimum est, praelestum quum Critias in rhetores animadvertisset (Xenoph. l. l. I, 2, 31.). Illic quum versaretur, Damasistrati, Theopompi patris vel hospitio vel familiaritate usus esse videri potest, qui postea filium ipsi erudiendum Athenas miserit. Scilicet ex iisdem regionibus Ephorus Cumanus et Naucrates Erythraeus postero tempore in Isocratis disciplinam se tradiderunt. Apud Chios tamen exsulem non diu remansisse tum intelligimus, quum orationes judiciarias paullo post Arch. Euclid. scribere coepisse et Socratis mortem Athenis atra veste indutum luxisse reputamus. Sed Isocratem seriore tempore (nam ante laudes illas Socratis supra commemoratas vix fieri potuit) Gorgiae asseclam factum esse tum omnes vitarum scriptores uno ore tradunt, tum universe posterioris vitae ratio et scriptorum singulorum compositio adeoque manifesta imitationis vestigia arguunt. Primum Dionys. Halic. praeter l. l. supra l. l. (περὶ δεινότ. Δημοσδ. T. VI. p. 963) disertis verbis dicit: ἡ Ισοκράτους λέξις τὴν ἐπίθετον καὶ πατεσκευασμένην τὸν περὶ Γοργίαν ἐκμέμακεν. ἀμαρτάνει δὲ ἐν οἷς ὀραιίζεται ποτε τοὺς Γοργίους περιουσιασμοὺς ζηλοῦσσα τὰ γὰρ ἀντίθετά τε καὶ κάρισα, καὶ τὰ καρακήσια τούτοις οὔτε με-

τριάζοντα οὔτε καιρῷ γενόμενα κατασχύνει τὴν μεγαλοχρήσιαν αὐτῆς. Quocum reliqua veterum judicia in Plutarcho, Philostrato, Photio obvia concinunt, quae huc afferre nunc nihil attinet. Quid enim multa? Quae Cicero (Orat. c. 52 coll. 49) cum Dionysio paria paribus adjuncta et similiter definita, itemque contrariis relata contraria ut Gorgiae inventa celebrat, ea in Isocratis orationibus crebro deprehendi exemplis permultis constat; sed tamen ab eo, Cicerone judge, illae festivitates moderatius temperatae sunt. Quae profecto accuratius rimari possemus, si Gorgiae scripta integra ad nostram aetatem pervenissent. Interea pauci apud nostrum exstant loci, quae ex Gorgiae imitatione profecta esse appareat. Unus est in Panegyrico §. 158. εὗροι δ' ἄν τις ἐκ μὲν τοῦ πολέμου τοῦ ἀρός τοὺς βαρβάρους ὑμνους κεκοιημένους, ἐκ δὲ τοῦ ἀρός τοὺς Ἑλληνας θρήνους ἡμῖν γεγενημένους. (Süvern Abhandl. der Berliner Akad. Ueber Aristoph. Vögel p. 48 not.) Namque Philostratus (in vit. Soph. p. 493) Gorgiae Epitaphii argumentum exponens fortasse ipsa ejus verba servavit: τὰ μὲν κατὰ τῶν βαρβάρων τροπαῖα ὑμνους ἀκατεῖν, τὰ δὲ κατὰ Ἑλλήνων θρήνους. In quo si Gorgiam ipsum loquentem audiamus, verbum post θρήνους omissum videri potest. Alterum est exemplum Panegyr. §. 45 fin. μὴ μόνον τάχους καὶ ἔρωτας, ἀλλὰ καὶ λόγων καὶ γνώμων, quam paromoeosin in majore funebris orationis fragmento a scholiasta ad Hermog. de formm. orat. libros servato, felici conjectura, cui ex Isocrate paullum firmata fides accedit, Gorgiae reddidit Foss (de Gorgia Leontino p. 69 cf. 73) καὶ δισσὰ ἀσκήσαντες μάλιστα ὃν δεῖ γνώμην καὶ ἔμμην, τὴν μὲν βουλεύοντες, τὴν δὲ ἀκοτελοῦντες, ubi pro δεῖ erat antea δή, et verba καὶ ἔμμην omissa. In quo habes fere totam Gorgiae in loquendo consuetudinem, quam Foss ibidem strictim significavit: primum poeticam rationem δισσά pro δύο, deinde paromoeosin γνώμην καὶ ἔμμην, βουλεύοντες-ἀκοτελοῦντες parisa τὴν μὲν βουλεύοντες, τὴν δὲ ἀκοτελοῦντες, denique antitheta. Similia Isocratis artificia abunde stipata et intempestive inculcata carpit Dionys. Halic. in Isocr. p. 561 seqq. exemplis e Paneg. desumptis. Tandem sunt, quae non solum elocutionem sed etiam argumentum Panegyricae orationis a Gorgia Isocratem mutuatum esse arguant. Disertis verbis hoc tradunt Plutarchus et Photius, qui simul e Lysiae epitaphio illum multa transtulisse narrant^{*)}. De Lysia nunc non quaero; de Gorgia

^{*)} Quibus accedit Theon Προορυμνάσιο. (Rhett. Graeci, edit. Walz p. 185) Εὗροι δ' ἄν καὶ καρά Ισοχράτει ἐν τῷ Παντηυρικῷ τὰ ἐν τῷ Λυσίου ἐκταφίῳ καὶ τῷ Ὁλυμπικῷ. Sed Γοργίου νοεβολούμενον τοῦτο οὐδεὶς οἶπορ. Nam Lysiae Olympiaca oratio in multum diverso argumento versabatur (cf. Dionys. Halic. Vol. V. de Lysia p. 519 seqq.) Pauca, quae huc trahas, in ejus fragmento

autem conficit Philostratus, qui ejus Olympicā orationem in argumēto dissimili versatam esse explicat. Ceterum Isocrates majorem se cum Gorgia familiaritatem contraxisse indicat loco περὶ Ἀντιδ. §. 155 et 156. ὁ δὲ πλεῖστα κτησάμενος, ὡντιμεῖς μηγμονεύομεν, Γοργίας δὲ Δεοντῖνος οὗτος διατέμφας μὲν περὶ Θετταλίαν, δέ τ' εἰδαιμονέστατοι τῶν Ἑλλήνων ἥσαν, πλεῖστον δὲ χρόνον βιους καὶ περὶ τὸν χρηματισμὸν τοῦτον γενόμενος, πολὺν δ' οὐδεμίαν κατακρυπτῶν οἰκήσας οὐδὲ περὶ τὰ ποινὰ δασκαληδεῖς οὐδὲ εἰςφροδὰς εἰσενεγκεῖν ἀναρκασθεῖς, ἔτι δὲ πρὸς τούτους οὐτε γυναῖκα γῆμας οὐτε καῖδας ποιησάμενος — χιλίους μάνους στατῆρας κατένικε. Quibus omnibus in universum diligenter pensitatis non dubium est, quin Isocrates senex semet ipsum juniores ut Gorgiae imitatore demonstraverit in Panathen. init. (quem locum respergit Cic. Orat. c. 12). Νεώτερος μὲν ὦν — (§. 2) περὶ ἐκείνους ἐκραγματεύομέν (τοὺς λόγους) τοὺς πολλῶν μὲν ἐνδυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δὲ ἀντιδέσεων καὶ καρτσώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἴδεων τῶν ἐν ταῖς ἡγροφειας διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἵπτυμαινεσθαι καὶ δορυβεῖν ἀλαζαζουσῶν. At fortasse quispiam dixerit, mirum videri, cur Isocrates hoc loco ipsum Gorgiae nomen non professus sit. Quod ne nostrae sententiae aduersetur, meminerimus, Isocratem non uni Gorgiae addictum fuisse, neque omnino in unius verba magistri jurasse, sed ab omni aequalium studio, quidquid probaret, suo sibi judicio exquisivisse. In primis autem commemorat Cicero, admiratores Isocratis hoc prae aliis laudi vertisse, quod verbis solutis numeros primus adjunxerit. (Cic. Orat. c. 52. de Orat. III. 44. cf. Dionys. l. 1. p. 538.) Atqui numerorum in oratione Gorgiam studiosum fuisse, nulla quod sciām mentio apud veteres exstat. Quem igitur in his secutus est? Thrasymachum cum sectatoribus puto, quem Aristoteles (Rhetor. III. 8. p. 251, 4) id artificii factitasse testatur, et Cicero plurimum ex philosophi libris pendens eundemque fortasse secutus loco ibidem subsequentē significat. Nam Aristoteles, de rhythmis in oratione adhibendis exponens, a Thrasymacho paeonem maxime commendatum et suo tempore paeonem primum ab orationis initio usurpatum esse tradit. Quare haud scio an in Panegyrica exordio verba prima κολακίς ἐδαίμασα hujus praecepti

occurunt. Olympicam Gorgiae cum Isocratis Panegyr. ab initio comparatam commemorat Aristot. Rhet. III, p. 188, 7. ed Bekk.

* Ita in Philippo (§. 27 et 28) non multum ante scripto incomitam senex orationem excusat: οὐδέ γάρ ταῖς περὶ τὴν λέξιν εὐρυθμίαις καὶ κοινωνίαις κεκοσμήκαμεν αὐτόν, αἷς αὐτὸς νεώτερος ὦν ἐχρώματον — ὥν οὐδὲν ἔτι δίναμαι διὰ τὴν ἥλικιαν. Quin etiam se ipse tantum, quantum actate procedebat, relaxarat a nimia necessitate numerorum. Cic. Orat. c. 52, §. 176.

exemplum supersint. Nimirum in hac demonstrativi generis oratione scriptor, ut hominum oculos ad se converteret, plurimum illis rhetorum artificiis indulxit, quae postea in scholis quidem, ut discipulorum ingenia exercebat, tradidisse, et suis exemplis interdum probasse, sed ipse mox deposuisse putandus est. Itaque in *εὐρισκαῖς καὶ τοιχίαις* (Phil. l. 1.) et Thrasymachi et Gorgiae sectatorumque crepundia eum respexisse, ideoque in Panathenaicae loco multitudinis numero universa complexum esse crediderim. Sed redeat illuc unde deflexit disputatio, qua efficere studui, Isocratem cum ex aliis magna professis illius temporis magistris tum maxime ex Gorgiae supellectile auctum esse. Cujus rei ut quasi imaginem ipsam oculis subjiciam, postremum commemoro tabulam ad sepulcrum rhetoris nostri positam, in qua poëtae et magistri, in hisque Gorgias sphaeram astrologicam intuens conspiciebatur (Plutarch. l. c. p. 143). Et vero Gorgias, ut primo adventu (OL. 88, 2. a Chr. 427) Athenis maximum plausum (Diod. Sic. L. XII. 53) tulerat, ita postea per Graeciae urbes saepius peregrinans et in publica hominum celebritate Athenis, Olympiae *), Delphis, Corinthi, Thebis Olympica præcipue oratione, quac Graecos, omissis inter ipsos mutuis dissidiis ad pugnandum contra Persas hortabatur, et vulgi et adolescentium studia ita incendisse videtur, ut multi eum sequerentur, alii, quum in Thessalia, primum Larissae apud Aleuadas (Plat. Menon. init.), deinde Pheris Jasoni gratus (Pausan. VI. 17. 5) domicilium collocasset, illuc salutatum proficiscerentur. Neque absurdum sit conjicere, Gorgiae discipulos barbarorum odio impletos et Graecis Asiaticis libertatem reddituros, Menonem, Proxenum, fortasse Xenophonem ipsum, magistri oratione commotos Cyri minoris partes secutos esse. Ipsum vero Jasonem in oratione Polydamas (Xenoph. Hellen. L. VI. c. 1. §. 12. cf. Isocr. Phil. §. 119) loquentem inducit, ut cuius animus non multum a regis Persarum aggrediendi consilio absuerit. Quae quidem omnia proxime posita vel cogitationi vel opinioni obsequentem magna ex parte me pronuntiasse scio, nihilo minus tamen intelligenti cuique et universum rerum Graecarum cursum animo contemplanti mecum patebit, Gorgiam in primis oratione sua Olympia, quo jam ducebat et Persici temporis memoria, poëtis, oratoribus, rerum scriptoribus repetita, et inde propagatum commune Persarum odium, multis veteris disciplinae viris multisque adolescentibus persuasisse, ut unam Graeciac salutem in bello contra Persas suscipiendo oblatum iri crederent. Quibus accenseri de-

*) Ολυμπίαστη δεκάδη απὸ τῆς τοῦ νεώ βαλβύδος. Philost. ep. ad Julian Augustam p. 919.

bere Isocratem patriae amantissimum cum multis aequalibus iisque principibus viris et vitae ratio, quam postea ingressus est, et argumenta ejusmodi toties inculcata satis docent.

Isocrates igitur, quum totum se, Socratis exemplum secutus, ad adolescentes erudiendos, abjecto orationum forensium scribendarum negotio, traditurus esset, ad Gorgiam, sibi jam antea notum, et famae et Theramenis commendatione praecellentem, non minus orationum audiendarum quam rhetoricae artis illinc repetendae causa in Thessaliā iter fecerit. Huic autem tempori (circa Ol. 97), ex quo judicialibus controversiis abstinuerit, hoc iter, ab uno, nisi fallor, Cicerone (Orat. c. 52. §. 167) demonstratum, probabiliter assignandum esse plura suadent ut decernam. Primum jam supra significavi, quem superiore vitae tempore animo Socrati usque ad mortem deditissimo credimus, eum simul ad Gorgiae contubernium vix potuisse adduci. Deinde vero ne ab opibus quidem prius ad iter ingrediendum et mercedem centum minarum solvendam satis polluisse potest, sed quaestu demum ex orationibus scribendis facto profectus sit. Gorgias etiam tum superstes erat et in Thessalia extremam senectutem agebat. (Usque ad annum Ol. Ol. 98, 1. a. Chr. 388 vixisse statuit Fols in libro supra laud. p. 11. Clinton Fastis ad annum 427 Gorgiae mortem post 380 a. Chr. ponit.) Neque hoc cuiquam offendiculo erit, quod Cicero ad senem Gorgiam accessisse Isocratem adolescentem retulit, quem ex nostra ratione annos jam quadraginta quattuor natum fuisse oportebat. Nam adolescentis nomen, quod Graeci ἡράκλινον dicunt, certis annorum finibus non contineri notum est, idque Ciceroni e diversa senis appellatione facile se obrium dare potuit. Praeterea aliquid firmamenti Isocratis illi in Thessaliā itineri afferri possit ex epistola ad Jasonis filios scripta, unde appareat alteri cum altero hospitium fuisse. Attamen hoc, etiamsi epistolam genuinam esse ponimus (cum Coraë, qui ad Ol. 102, 4 eam refert) Athenis (Ol. 101, 4) ubi Jason Timotheo accusato patrocinabatur, junctum videri poterit. Quare haec jam omitto. Plurimum denique fidei conciliatur Ciceronis indicio huc referendo, si tamquam desuper spectantes in universam totius vitae commutatam rationem intuemur, qua in latiorem campum exinde vagatus est Isocrates. Ab hoc tempore meditatum esse Panegyricam orationem (ante Ol. 100, 1. in vulgus non emissam) ex eo liquet, quod una voce veteres clamant, eam annorum amplius decem opus haberi. (Plutarch. Moral. T. II. de glor. Athen. extr. pag. X. orat. Isocr. p. 142. Dionys. Halic. de compos. p. 208. Longin. de sublim. c. 4. Aelian. Var. Hist.

XIII. 11.) Ad hoc tempus ipse respexit senex in Panathen. §. 11.) ἐπὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ πονεῖν καὶ γράφειν ἄ διαινοηδεῖν κατέψυχον, οὐ περὶ μηδῶν τὴν προαιρεσίν ποιούμενος οὐδὲ περὶ τῶν ἴδιων συμβολαίων οὐδὲ περὶ ὅν ἄλλοι τινὲς ληροῦσιν, ἀλλὰ περὶ τῶν Ἐλληνικῶν καὶ βασιλικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων. (unde idem habet Dionys. Halic. in Isocr. p. 535.) Et paullo infra §. 13 (πάντες ἵστασιν) ἐμὲ τῶν λόγων ἡγεμόνα τούτων γεγενημένον τῶν παρακαλούντων τοὺς Ἐλληνας ἐπὶ τε τὴν διμόνιαν τὴν πρὸς ἄλληλους καὶ τὴν στρατείαν τὴν ἐπὶ τοὺς βαρβάρους, καὶ τῶν συμβουλευόντων ἀποικιαν ἐπεκέμπειν ποιῆτη πάντας ἥμας ἐπὶ τοσαύτην κώραν καὶ τοιαύτην, et quae sequuntur de coloniis in fertilissimas Asiae regiones mittendis. Neque frusta, quamvis alio rerum mole postea devoluta, haec declamarunt. Nam Aelianus (Lib. XIII, 11) scripsit: αὐτιον Ἰσοκράτην γενέσθαι τοῖς Πέρσαις παταδουλώσεως, ἣς πατεδουλώσαντο αὐτοὺς Μακεδόνες. — τοῦ γὰρ παντρυρικοῦ λόγου η φήμη πρῶτον μὲν Φίδικον ἐπὶ τὴν Ἀσιαν ἀνιστησιν, ἀποδανόντος δὲ ἐκείνου Ἀλιξανδρον. — Nempe Alexandro Aristoteles praelegerit Panegyricam.

Illud igitur argumentum gravissimum Graecisque auditu jucundissimum^{*)} Isocrates e Thessalia reversus, Athenis post muros Cononis beneficio restitutos ad pristinae gloriae spem revirescentibus, tanto animi ardore amplexus est, ut cetera fere omnia in suasionibus politicis proposita illuc referre videretur. Et profecto, rhetoricas exercitationes a rebus futilebus (Laudat. Helen. §. 12) revocans, idem illud discipulis et amicis diligentissime explicuit et commendavit. Ad hoc perficiendum cum aliis eximiis rei publicae viris ἑταιρείᾳ quadam videtur conjunctus fuisse. Quod enim praedicat in laudibus majorum nimium fortasse opinioni indulgens, in Paneg. §. 79, καὶ τὰς ἑταιρείας συνῆγον οὐχ ὑπὲρ τῶν ἴδιων ἀλλ' ἐπὶ τοῦ πλῆθους ἀφελείᾳ, id quis dubitet quin serio cum amicis imitatus sit? Erat autem in his egregius dux Atheniensium Timotheus, Cononis filius, e discipulo amicus factus, cuius merita resque gestas noster in oratione (περὶ ἀντιδ. §. 101—139) insigni cum laude persecutur. Prima, quod sciam, apud Lysiam (de Aristoph. bon. p. 316. §. 36. Bekk. Ol. 98, 1. ante Chr. 388 hab. Clint.) mentio facta est Timothei in Cypro degentis cum patre, qui bona ibi, Euagorae haud dubie beneficio, possidebat. Patre mortuo (circa Ol. 97. 2. a. Chr. 391.) septemdecim talentorum (Lys. ibid. §. 40) haeres factus, adolescens admodum, viginti circiter annos natus aestimari potest.

^{*)} Ipse Demosthenes in orat. περὶ συμμορ. §. 3. Bekk. (Ol. 106, 3. a. Chr. 353.) concepcionatur: Ἐγὼ νομίζω, ποιὸν ἔχοντον ἀκάντων τῶν Ελλήνων εἶναι βασιλεῖα.

Nam diem supremum Chalcide obiit Ol. 106, 3 (a. Chr. 354 Clint.), ubi sexaginta annos nondum vixisse conjicio. Jam quando Isocrati se in consuetudinem dederit, si quæcimus, paulo post patris mortem nomen apud rhetorem professum putares. Sed alia docet locus in *Ερωτικῷ*, qui sub Demosthenis nomine circumfertur §. 46. (1415 Reisk.) τοῦτο μὲν Τιμόθεον, οὐαὶ τὸ ὅν τε περιεργος ἡνὶ ἐπετήδευσεν, ἀλλ᾽ εἰς ἦν Ἰσοράτει συνδιατρίψας ἔχοντες, μεγίστης δόξης καὶ πλειστων τιμῶν εὑρητος ἀξιωθέντα. Quum autem illam orationem probabili conjectura Andrationi (cf. Schaeff. Appar. crit. ad Demosth. T. V. p. 630), Isocratis discipulo, tribuant, illi testimonio aliquam fidem habuerim. Quodsi Timotheus primum *) ante pugnam ad Alyziam v. Leucada factam (Ol. 101. 1. Chr. 376 cf. Clint. ibique Krüg. a. 375) dux creatus est, eum ab Ol. 99—100 in Isocratis familiaritatem praesiiterim se insinuasse. Et vero magistri praeceptis de sociis clementia et aequitate conciliandis se praebuit docilem, (cf. Böckh Staatsh. I. p. 316—17 et 448—49). Eadem paulo post Isocrates in bellicis expeditionibus comes factus litteras ad Athenienses publice missas composuisse, et talentum a grato amici animo post Samum captam dono tulisse dicitur. (Plut. l. c. p. 140.) Quam Sami expugnationem (Isocr. *περὶ Αἰγαδ.* §. 111), si eandem esse credimus, quam Demosthenes in orat. de Rhod. libert. (hab. Ol. 107, 2) p. 173. §. 9 seqq. commemorat, vir doctissimus (Jacobs Demosth. Staatsr. p. 197 Anm. 5) ad Ol. 104, 2 referre studet. At contra videntur pugnare, quae post Samum captam recensentur apud Isocr. (l. c. §. 112) — ἐνθεύτερον τούτων ἀνακλαύσας Σητοὺς καὶ Κριθαῖρην ἔλαβε — τὸ δέ τελευταῖον Ποτίδαιαν εἶλεν (Diod. Sic. XV. 81 extr. Ol. 104, 1.) Isocrati autem, quamquam oratori, in rebus novissime gestis et tam studiose explicatis fidem quis denegaverit? Evidem has tricas, quibus expediendis imparem me sentio, nihil moror, qui omnino Isocratem in prioribus, non in hisce itineribus comitem Timotheo fuisse censem. Nam quo tempore Samus capta videtur, septuaginta annos egressus sedem constanter Athenis fixisse et docendo scribendoque operam impendisse putandus est. Quippe in epistola ad Jasonis filios jam excusat senectutem, sed antea se Athenis absuisse (§. 2) innuit. Praeterea sub ista tempora scholam ejus floruisse, ex eo consentaneum est, quod circa Ol. 105 Theopompus circiter viginti annos natus eō usus est praeceptore. (Pflugk de Theopompo Chio.) — Tanta igitur utriusque

*) Ol. 100, 3, postquam Sphodrias Piraeum abortus erat. Diod. Sic. XV. 29 qui falso illam rem ad Ol. 100, 4 detulit. cf. Böckh Abhandl. d. Akad. hist. phil. Kl. 1818. p. 80.

per omnem vitam vigebat familiaritas, ut Timotheus ob priora de se merita vel seniori aetate Isocratem remuneraretur. Itidem Timotheo conciliante quae Isocrati cum Euan-gora et Nicocle necessitudo sicut ortum duxerit. Denique ut Timotheo defuncto alter monumentum litterarium, ita huic vivus alter marmoreum Eleusine collocavit (Plut. l. c. p. 143), cui inscriptum erat:

Τιμοθεος γυναις τε χαράιν σύνεσιν τε κροτίμων
Ισοράτους εἰκὼ τίτρος ἀνέθητος θεαῖς.

Mihi quidem, si quis Timothei mores et res gestas ex historiae filo narratas contexisset, operae pretium facturus fuisse videatur. (Locos nonnullos, qui mihi in promtu sunt, adscribam. Athen. XIII. 38. Plutarch. Apophth. P. II. p. 42. Athen. X. 14. d. Aelian. II. 10. Cornel. Nep. Chabr. c. 3. (ex Theopompo) Athen. XII. c. 43.) Eloquentiae exemplum non Isocraticae, sed imperatoria exponit Demosth. de rebus Cherson. p. 99. §. 74. Quod si vires mihi suppetissent, repudiato Isocratis edendi consilio, ut supra dixi, suo loco exequi conatus essem. Quid enim juvat, scriptorum verba nonnullis annotationibus onusta toties repetere, quum editionum diligenter proculsum indies augeatur numerus? Attamen ut his litteris, quibus ab ineunte aetate nunquam non deditus fui, vel secundas vel tertias partes sustinens parvam utilitatem afferrem, libellum de Isocrate agitabam Germanice scribendum, qualem A. G. Becker. Quedilib. de Demosthene, nunc repetita editione approbatum, et de Andocide compositum.

Jam ad Isocratis scripta percensenda transeo. Plutarchi tempore ejus ferebantur orationes sexaginta, quarum pro genuinis habuit Caecilius duodetriginta, sed Dionysius viginti quinque. Suidas triginta duas numerat. Photius (cod. 159) testatur, se tantum viginti unam et novem epistolas legisse; quas etiamnunc habemus superstites. In recensu tamen epistolarum litterae ad Jasonis filios datae fortasse librarii errore omissae sunt. Ex his jam patet, majorem quondam fuisse numerum orationum. Sed fortasse Isocraticorum fetus cum genuinis scriptis facile confundebantur. Subdititia enim quaedam enumerantur ab auct. βιον (p. XII), quorum pars magna in Isocratis schola elaborata videri potest. Quae autem tulerunt aetatem, ea ex temporum ratione sic ordinanda, ut oratio prima adv. Callimachum scripta credi possit (circa Ol. 94, 4), quia (§. 2 et 5) rerum post triginta virorum dominatum gestarum recens facta est mentio. Sed aliquot annis post ad forum causa videtur pervenisse. Item Krüg. ad Olymp. 95 (Clint. ad a. 397) refert. [Spengel in l. l. p. IX eam dubiae fidei esse non recte

judicat, his verbis: si modo haec Isocratis est; Ursino Fulvio Isaeus auctor videtur. Nam Fulvii Ursini error, notante Fabric. Biblioth. Graec. P. II p. 789, profectus erat a pravis lectionibus in Harpocrat. (*v. Πίνων*) ubi ex confusione saepius obvia erat Ἰσαῖος pro Ἰσοκράτῃ; et in Isocrat. Callimach. (§. 6) ubi Hieron. Wolfius pro Πίνων habet Οἰνων. Sed utrumque mendum jam Maussac. ad Harpocrat. sustulit, et Lang. in Isocr. ex Harpoer. recte edidit Πίνων, quod in Mscr. se legisse testatur Coraës (Isocrat. T. II p. 267). Quod autem Fulv. Ursin. Callimacheam ab Isocrateo dicendi genere valde dissidere censet, id e discrimine judicialium orationum (cf. Isoer. Panath. §. 1.) et suasionum politi- carum minus ante oculos posito natum est. Diserte Schol. ad Aristoph. Nub. v. 1139. Fabric. l. c. Isocrati orat. tribuit.]

Ejusdem fere temporis esse orationem adv. Euthynum ex iis, quae §. 2 commen- morantur, probabile est. Aegineticam ut eidem aetati adscribamus, suadent, quae de turbis in Cycladibus extremo fortasse belli Pelop. tempore motis leguntur, quamquam de Pasino aliunde mihi quidem non constat.

Orationem de Bigis Krüg. (Clint. a. 396) e computatione prudenter instituta circa Olymp. 95 finem posuit, iisdemque temporibus assignat Busirin, de quo paulo-in- fra dicam.

Trapeziticam anno 393 a. Chr. (Ol. 96, 4) post Satyri mortem esse scriptam efficeret studet Clinton I. l. p. 296. not. x.

Jam a vero non abhorrebit, si orationem contra Lochit. judicialium tempori- bus adjecero, cui opinioni quodammodo faveat §. 10.

Præterea Aristoteles Siculus (Isocratis adversarius, qui Panegyricam impugna- vit, Diog. Laert. L. V. §. 35) apud Dionys. Halic. (in Ἱσορ. p. 576 seqq.) contendit: δεσμας πάντας σπουδαίας δικαιωμάτων λόγων Ἰσοκράτειν περιφέρεσθαι όποι τῶν βιβλίων. Sed hu- jus generis homines in spuriis etiam magno viri nomine abusos esse nemo intelligit. Nam Dionysius ibidem dicit, Cephisodorum, Isocratis discipulum, testari a præceptore judiciarias nonnullas esse scriptas, non multas tamen. Quarum si forte jacturam feceri- mus, nullam tempus, quo forensibus et scribendo et docendo vacaverit, excessisse, per- suassissimum habeo.

Post Ol. 96, 4. Busiris oratio ponenda videtur, ut quae mentionem faciat Pou- lycratis Σωζόμανος κατηγορίας (§. 4). Hanc, ingenii ostendandi causa, post illum annum (a. Chr. 393) scriptam esse certum erit, si audis Phavorinum (Diog. Laert. II. 5. §. 39.).

μαρτυρεῖται (Πολυκράτης ἐν τῇ κατὰ Σωκράτους λόγῳ) τὸν υπό Κορωνὸς τειχῶν — (cf. Bentl. Dissert. de epistt. Socr. §. 6.) Erat autem Polycrates Atheniensis tunc in Cypro degens (ιπέσ. Αδήλοι) Athenis antea scholae rhetoricae dux, et postea Jasoni Thessalo ante Gorgiam non injunctus. (Pausan. Lib. VI. c. 17 fin.) Huic igitur et Socratis et Gorgiae gratia Isocrates infensor fuerit.

Helenae Encomium contra eundem sophistam Polycratem compositum esse, approbare studet Spengel. p. 75, ubi illius extare sub Gorgiae nomine Helenae laudationem non sine aliqua veri specie opinatur. Alii orationem Isocratis Gorgiae aemulatione (ex. §. 14) scriptam putant. Quidquid hoc est, mihi rem in universum consideranti declamatio ad haec priora Isocratis tempora referenda videtur, postquam a Gorgiae consuetudine revertit.

Orationem contra Sophistas certo tempori adsignare non audeo; huic tamen superiori vindicaverim. Nam Isocratem statim, quum in novum et ampliorem docendi dicendique campum exspatiaretur, rhetorum gregem, quem prae se fastidiret, infensum sibi habuisse, consentaneum est. In auspicandis scholis adhibitam esse orationculam, non inepte Speng. (p. 166.) opinatur.

Panegyrica finita et edita est Ol. 99, 4, ut Spohn. (Dissert. de tempore Paneg.) demonstravit, quo cum Clinton (ad annum 380 et in appendicis cap. XII. de bello Cyprio) suis vestigiis insistens consentit. Quod decem annis elaboratam esse narrant, id non ita accipiendum puto, quasi auctor universum illud temporis spatium uni huic operi expoliendo affixus insumerit; sed singulas partes primum conformasse, iisque in schola exemplo propositis, quibus pracepta adjunxerit, usus videri potest. Nam Isocratem, Gorgiae more, in docendo plurimum exemplis tribuisse verisimile est. Aliam porro columniam, qua Lysiae scrinia compilasse arguunt, quum supra e Gorgiae Olympica argumentum adoptasse probaverim, quantum in me est, eo libentius diluam. Evidem me ab eorum partibus stare profiteor, qui non Isocratem a Lysia, sed sophistam quendam, qui nunc sub hujus nomine latet, ab Isocrate lacinias nonnullas furatum esse credunt. (cf. Wolf. ad Leptin. p. 363.) Mihi certe illa oratio funebris, quae Lysiae personam fert, ex Isocratis schola videtur profecta.

Plataica Plataeensibus everso oppido Athenis supplicibus scripta fuerit, ut iis populi Atheniensis favor conciliaretur. Quo tempore amicis lecta vel in discipulorum conventu proposita sit, (nam simul rhetoricum artificium ostendit) ex historia dijudican-

dum est. Locus gravissimus in hac re explicanda legitur in Plataic. §. 9. Ἐχεῖν γὰρ αὐτοὺς (Θηβαίοις) ἐπειδὴ πείσειν ἡμῶν τὴν κόλαν οὐχ οἷοι τε ἥσαν, ὥσπερ τοὺς Θεσπίας καὶ τοὺς Ταραγγαιούς, συντελεῖν μόνον εἰς τὰς Θηβαὶς ἀναγκάζειν, unde appareat, Thespienses nondum solum vertisse coactos, sed mitiori conditione habitos et cum Thebanis conjunctos fuisse. Plataeae autem dirutae jam erant Ol. 101, 3 (a. Chr. 374), Xenoph. Hellen. VI. 3. 1. Diod. XV. 46, qui Archonte Socratide haec narrat. Sed nota ibi, quae de Thespiis dicuntur: μετὰ δὲ ταῦτα οἱ μὲν Θηβαῖοι τὰς Πλαταιάς κατασκάψαντες, καὶ Θεσπίας ἀλλοτρίους χρόνος αὐτοὺς διατελεῖνας ἐξεπόρθσαν. Quod accidisse ante pugnam Leuctricam Wesseling. ad h. l. probat. Patet igitur, orationem inter Plataearum et Thespianum eversionem (373—72 a. Chr.) scriptam esse. Res Plataeensium aliquatenus ita adjuvit, ut domicilio et ιστοτελείας Athenis participes fierent (cf. Diod. l. c.). Quod ut confidenter affirmem, ea me movent, quae de universa Isocratis vivendi agendique ratione animo obversantur. Huc faciunt, quae Plutarchus (p. 144) narrat, eum discipulos in populi conciones misisse, ut, quae ibi agerentur, ipsi referrent.

Eodem tempore Euagōrae a Nicocle (vel potius Thrasydaeo. cf. Phot. cod. 176 ex Theopompo) eunuko per dolum occisi (Ol. 101, 3. Diod. Sic. XV. 47.) laudationem scriptam et ad Nicoclem filium missam esse, probabile videtur; nec multo post orationes ad Nicoclem et Nicocles per intervallum datae sint, quum hanc ex Nicoclis persona serius compositam esse locus in ea obvius (§. 11) doceat.

His subjungere licet Paraenesin ad Demonicum, quam Harpocrat. (in v. ἐξαντος ὁρίζει.) Isocrati Apolloniati diserte tribuit. Cui favere videtur Suidas, in Apolloniatis libris recensens προτρέπτικόν, et auctor βιον p. XII., qui προτρέπτικόν in spuriis refert. A discipulo Isocratis ad imitationem Nicoclis, in quo, quemadmodum homini privato vivendum sit, explicatur, scriptam puto. Item §. 36 Hipponici filius regibus obtemperare jubetur. In paucissimis ab Isocratis scribendi genere discrepat. Jam Schirach. (Disp. I. p. 21) notavit (§. 4) ἐπιχειρεῖν καλόν τογον pro καλῷ τογῃ. Praeterea grammatica forma συνειδήσεις (§. 16) et εἰδῆσεις (§. 44) ab usu Isocratis, qui ubique εἴσοδαι habet, aliena sunt. (Cf. Buttum. Gr. Max. p. 569).

Epistola sexta (τοῖς Ἰάσορος κατοί) Ol. 102, 4 (a. Chr. 369) anno post Jasonem intererum videtur scripta Corai Tom. II. p. 311.

Archidamus ex historiae [significatione] ad annum Ol. 103, 3 (a. Chr. 366) refertur. (Cf. Clint. ad h. a.) Alii dicunt, Archidatum, nondum triginta annos natum,

Athenas misisse, qui ab Isocrate orationem ipsi apportassent; alii, γυμνασίαν esse. (Cf. οὐδέ τοις Λεξιδ.) Equidem utramque rationem ita conjunctam fuisse puto, ut Athenis Isocrates Spartanorum partibus favens scribebat, et exemplum rhetoricum discipulis proponeret, similius consilio Lacedaemonem ad Archidamum mitteret. Huic orationi opposuisse videtur (Speng. iud. praef. p. XXIV) Alcidamas, Messeniorum defectionem defensans, τὸν Μεσσηνιακὸν λόγον. Aristot. Rhet. I. c. 13, p. 47, ad quem locum ex Schol. affert Speng. (p. 176) insigne Alcidamantis dictum: Ἐλευθέρους ἀφῆτε κάντας ὁ θεός· οὐδένα δοῦλον ή γύναις πεποίηκεν.

Decem annis post epistolam ad Archidamum regem Isocrates octogenarius (epist. 9. §. 16) scripsit Ol. 106, 1. (a. Chr. 356.) Eidem anno Symmachica adscribenda (cf. Clint. ad h. a.).

De Antidosi Ol. 106, 4 (a. Chr. 353) cf. orat. §. 9 cl. §. 4. Areopagitica paulo post Symmachicam videtur scripta sed serius edita, Clint. ad annum 353. Epistolae regis Persarum in ea §. 81 commemorantur. Quae si teneremus, quo anno scriptae essent, certius tempus fortasse definiremus. Epistola octava (τοῖς Μυτιληναῖς ἀλεχονσι) post Timothei mortem, Diophanto in Asia versante. Diod. Sic. XVI. c. 48 ad Ol. 107, 3 (a. Chr. 350).

Epistola septima Timotheo, Heracleae Ponticae tyranno, cuius laudes Memnon apud Photium cod. 224 celebrat, paulo post annum Ol. 106, 4, (a. Chr. 353) scripta sit, quo anno Clearchum pātrem, eundemque Isocratis discipulum (epist. §. 12 et Memnon apud Phot. l. c.), sed crudelitate famosissimum in regno filius secutus est. Diod. Sic. XVI. 88. extr. coll. XV. 81. Philippus Ol. 108, 3. (a. Chr. 346), cf. Clint. Panathenaica inter Ol. 109, 3 et Ol. 110, 1. (ante Chr. 342–340) §. 3 cf. 267 et 270.

Utram Isocrates artem rhetorican a se litteris consignatam reliquerit nec ne, hodie ambigitur, et a veteribus jam in utramque partem disputatum est. Cicero (Brut. c. 12, §. 48) dicit, Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, quia plurimum, opinor, exercitationi et exemplo tribuebat. Idem de invent. II. 2 (Isocrates), cuius ipsius quam constet esse artem non invenimus. Discipulorum autem, atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus. Item dubitanter Quintil. II. 15, 4 loquitur his verbis: si tamen revera Ars, quae circumfertur, ejus est; cf. ibi Spald. not. Plutarchus I. l. p. 144. σίσιδ', οὐ καὶ τέχνας ήγουσιν αὐτὸν συγγεγραφέναι οἱ δ' οὐ μεθόδῳ, ἀλλ' ἀσκήσει χρήσασθαι. Eadem Photius, qui tamen se artem rhetorican,

illius nomine inscriptam, adhuc nosse affirmat; cetera de exercitatione rhetorica cum Plutarcho consentiunt. Βίου auct. p. XII. causam famae de scripta arte subjicit, ὅτι Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος συναγαγών τέχνας ἐπτορικάς εμνήσθη καὶ ταύτης. At Aristoteles facile potuit aliunde cognovisse Isocratis artem per discipulos sermone traditam, qui multi fortasse, ut Theodectes utroque utebantur praceptoribus. Neque aliam in partem interpretor locum ex scholiasta Anonym. (Speng. p. 161) ubi Isocratis praecelta quaedam commemorantur de dictione prolata ἐν τῇ οἰκείᾳ τέχνῃ i. e. in arte, quam discipulis tradebat intra privatos parietes. Fuerit ergo meo judicio, quae ferebatur Ars, discipuli opus, ut Isocratis Apolloniatis, ex opinione Manut. ad Cic. epp. ad Div. I. 9 (Spald. ad Quint. l. c.) vel alias cuiuscunq. Forsitan τέχνη ἐπτορική ἐν βιβλίοις β', quam sub Philisci nomine recenset Suidas, ubi etiam Ἰσοκράτους ἀπόγραψις commemoratur, huc trahenda sit. Nam Quint. III. 1. 14 de Isocrate et Aristotele dicit: Ars est utriusque; sed pluribus eam libris Aristoteles complexus est. Tale igitur discipuli opus, quum omnes in eo Isocratis Artem promulgari scirent, auctoris nomen per decursum temporis amiserit, praceptoris induerit.

Isocratis dicta denique per discipulos ore propagata esse, quum per se concedatur, tum e nonnullis vestigiis apparet. Apud Suidam locus exstat: Ἰσοκράτης εἰπεν· Ο γάρ φαινεται διανοητεῖς περὶ τῶν ἴδιων, οὐδέποτε καλᾶς βουλεύσαται περὶ τῶν ἀλλοτριῶν. Praeterea aliquot locos in rhetoribus latentes commonistravit Pflugk. l. l. Isocrates in schola saepius discipulos admonuisse fertur, τῆς κακοδίας τὴν ἔιδαν εἶναι πικρὰν, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρκούν. (Aphthon. Προγνωμ. C. III. p. 63. Rhett. Gr. T. L.) Aliud ejusdem dictum a familiaribus exceptum et posteris traditum est, quo παρέπει τοῖς γνωμίοις προτιμᾶν τῶν φρενῶν τοὺς διδασκάλους, ὅτι οἱ μὲν τοῦ ζῆν μόνον, οἱ δὲ διδασκάλοι καὶ τοῦ καλᾶς ζῆν αἴτιοι γεγονασιν. (Theon. Προγ. p. 207). Idemque bonam discipuli indolem his verbis praedicavit, τοὺς εὐγενεῖς τῶν μαθητῶν δεῖν καδας εἶναι. (Theon. Προγ. p. 203).

De Isocratis schola et discipulis, ut in scriptione scholastica, pauca demum, quae habeo, afferam. Scholae locum, qui cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit (Cic. in Brut.), notum facit auct. βίου p. XI prope Lyceum Gymnasium fuisse. Discipulos ad centum habuisse Plutarchus refert (p. 140), quorum alios Isocrates ipse (de Antid. §. 95 seqq.) enumerat ob publica merita aureis coronis donatos, alios aliunde cognitos habemus, ut Aphareum privignum, Andrationem, Asclepiadem, Diodotum (Isocr. ep. 4. §. 1), Dioscuridem, Ephorum Cumaeum, Theopompum Chium, Theodecten Phaseliten, Isaeum,

Isocratem Apolloniaten, Cephisodorum, Coccum, Cratetem Trallianum, Lacritum Phase-
liten, Leodamantem, Naucraten Erythraeum, Philiscum Milesium, quos Fabricius, Ruhm-
kenius, Coraës investigarunt. Illis aecidunt ex auct. *βιον Hyperides, Lycurgus, Pytho*
Byzantius, orator Philippi. Ad Demosthenem etiam nonnihil ex Isocratis disciplina re-
dundasse hinc illinc probabile fit. Primum ille praceptor habuit Isaeum, quem Iso-
cratis discipulum fuisse Dionys. Halic. (in Isaeo p. 588) tradidit. Praeterea Plutarchus
(vit. Demosth. c. 5, p. 699 Reisk.) narrat, Demosthenem Alcidamantis et Isocratis artes,
ut edisceret, clam occulte sibi comparasse. Isaei autem prae Isocrate amplectendi
causam quum alia, tum praecepit actio contra tutores et prima rerum forensium medi-
tatio afferre potuerunt. Jam facetus Isocratis sermo, qui apud Plutarchum (X oratt. p.
141) legitur, cum Demosthene habitus aliquam utriusque consuetudinem prodit, neque
omnino in malam partem accipiendus videtur. Etenim Isocratem a civibus nullam mer-
cedem (*χρήματα δραχμας*) exigisse, et ipsius verba (de Antid. §. 39 et 40, cf. §. 164: τὸν
μὲν ἐνθέντες λημμάτων ἀπεσχόμην, παρὰ ξένων δὲ καὶ νομιζόντων εὖ πάσχειν ἐποιούμενην τὰς ὁμη-
λίας) docent, et Plutarchus (l. c. p. 144) cum vitae Auct. p. IX testatur. Lacritus au-
tem, Isocratis discipulus (Demosth. P. II. p. 205. §. 40), quem ibi orator ob pecuniam
praceptoris numeratam exagitat, peregrinus erat. Denique Demosthenem priori tempore
Archidamum Isocratis et Symmachicam legisse et auribus inde ac mente nonnulla reti-
nuisse, ut probabile faciam, profero, quae annotavi. Archid. §. 102. αἱ μὲν γὰρ εὐτυχίαι
καὶ τοῖς φαῦλοις τὸν ἀδερῶν τὰς κακίας συγκυπουσιν, αἱ δὲ δυστυχίαι ταχέως καταφανεῖς
χοιοῦσιν, δύοιοι τανες ἔκαστοι τυγχάνουσιν ὅντες. Demosth. Olynth. I. p. 23. αἱ γὰρ εὐτυχίαι
δειναι συγκρίψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαύτη ὄντες —. Isocr. Symmach. §. 6. τὰς κτῆσεις
κομιούμενα καὶ τὴν δύναμιν ἀναληψόμενα τάλιν. Dem. Phil. I. §. 42. τὰ ὑμέτερα αὐ-
τῶν κομιεῖσθε — καὶ τὰ κατεύθυντυμηνα τάλιν ἀναληψόμεσθε. Symmach. §. 124. τού-
τους ἐκ πενήτων πλουσίους γεγενημένους —. Olynth. III. §. 36. ὃν οἱ μὲν ἐκ πτώχων πλούσιοι
γεγόνασιν —. Symmach. §. 138. et Phil. I. §. 42. Sed non opus est in singulis haerere;
plura, quae de majorum virtute et rerum conditione in pejus mutata in Symmach. le-
guntur, in Philippicis spirant, at Demosthenica vi et nervis constricta. Sed redeo ad
discipulos peregrinos, quos undecunque, e Sicilia et Ponto aliisque locis, ut eruditentur,
Athenas ad se confluxisse ipse gloriatur Isocrates (de Antid. §. 224) eosque magno cum
desiderio et lacrimis a se discessisse (ibid. §. 87 et 88) narrat. Quantopere se in disci-
pulorum institutione ad cujusque naturam et indolem accommodaverit, insigne exstat

exemplum in Theopompo et Ephoro exhibatum (Cic. de Orat. III. §. 36.). Qui viri me admonent, ut adjiciam, quae de praemiis in schola propositis ex Menandro rhetore referunt (Meier-Marx de Ephoro p. 14.): Ἰσοχράτης ἀρετῆς προνοτίδει τοῖς ἀρίστοις τῶν ἀκαδημῶν κατὰ μῆνα στίγμαν. Ita Graeco more laudis et gloriae studium incendit ac remuneratus est.

Ab Isocratis discipulis per secula derivarunt artem et praecepta Isocratici qui audiunt. Hos lusit Lucilius, Romanorum poeta (Gell. Noct. Att. XVIII. 8) eorumque frequens mentio exstat apud Ciceronem, Dionysium, Longinum, rhetores.
